UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

90 Beneficia vacantia per obitum officialium, & familiarium magni Magistri, sunt eidem magno Magistro reservata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Visual Library

Alex. *num. 9. ff ad Trebell.* & Jaſ. qui de communi teſtatur *in præl. feud. num.* 46.

88 † Quando tamen fuit receptum pro ſe, & hæredibus quibuſcunque, tunc propter illa verba generalia, poteſt hæres de feudo teſtari, aut legato relinquere, & tranſit ad extraneos hæredes, & in fideicommiſſum facta reſtitutione. Bald. *in l. 1. num. 27. verſ. 34. quæritur, de rer. diu.* Alex. *in d. l. ſi patroni, num.* 14. *in fin. & num. 15. ff. ad Senat. conſult. Trebell.* Jaſ. *in præl. feud. num. 47. & 49.* & Put. *deciſ. 115. num. 4. lib. 1.*

89 Cùm autem † in dictis privilegiis comprehendantur membra quæcunque, comprehenduntur omnia beneficia, quia totum, & pars eodem debet jure cenſeri, *cap. quoniam, cap. 2. 12. diſt. cap. celebritatem. de conſecr. 3. diſtin.* & gloſſ. *in cap. ex ore. in verb. quæ non probant, de privileg.* & idem juris eſt de toto, quò ad totum, quod de parte, quò ad partem, gloſſ. *in eo. cap. 2. in verb. membra 12. diſt. l. qui ſit, ff. de uſur, & l. ſi duo. ff. de admin tut.*

90 Habet etiam † Magnus Magiſter collationem omnium commendarum. & beneficiorum ſuorum officialium, & familiarium, ac beneficiorum à Prioratibus, bajulivatibus, & commendis, dependentium per obitum in conventu decedentium, vacantium, quæ ſunt eidem ſpecialiter reſervata, ut in ſtab. ejuſdem ordinis, *cap. tamen ſi. de com.* arg. tex. *in cap. 1. de præb. in 6.*

91 Et ipſe † Magnus Magiſter unà cum conventu conferunt commendas, quas vocant, de cabimento, fratribus antianis ejuſdem ordinis; ſecundum eorum antianitatis prærogativam, *cap. 1. eod. tit. de com.*

92 Priores, & † caſtellanus empoſtæ, quolibet quinquennio à die illorum promotionis unam commendam alicui fratri antiano concedere poſſunt, ſi à feſto SS. Philippi, & Iacobi ad aliud proximè ſequens adminiſtratio trium commendarum extra conventum vacaverit, & non aliàs, *ut in cap. conſuetum, juncto. c. in concedendis, eod. tit. de com.* & fuit conceſſa in hujuſmodi ſolùm caſu Prioribus facultas conferendi, quæ ad alios extendi non poteſt, cùm cœtera Magno Magiſtro, & conventui ſint reſervata, & cùm conſtet de mente ſtatuentium, annullando geſta in contrarium, ibi in fine, ſi aliter fecerint, conceſſio, & diſpoſitio eorum nulla ſit. Collationes in aliis caſibus per Priores factæ non ſubſiſtunt, gloſſ. *in clement. 1. in verb. pro infectis, de immunitat. Eccleſ.* & Pariſ. *conſ. 15. num. 65. vol. 2.* & licet videatur caſus, qui raro contingere poſſit, quòd in uno Prioratu eodem anno vacent tres commendæ, nihil fuit ablatum Prioribus per conceſſionem dictæ facultatis & ideo etiam, quod nunquam caſus adveniat, conqueri non debent, cùm magnus Magiſter, & conventus, qui ſupremam habent juriſdictionem conferendi, eòrum jure utantur, *l. injuriarum, ff. de injur. cum ſimilibus.*

93 Quilibet † prioratus habet quatuor commendas, cameras priorales, nuncupatas, & dictis commendis ad eorum collationem ſpectantibus poſſunt Priores, & caſtellanus empoſtæ, unà pro quinta camera priorali acceptare, & retinere, ut condecentiæ ſtatus eorum commodiùs conſulatur, cap. prioribus, de com. dummodo quolibet quinquennio, eorum Bajulivas, commendas, domos, membra,